

Johann Quistorp Anton Günther Knaut

Theses Theologicas, De Iustitia Legali Et Fidei

Rostochii: Richelius, 1664

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740040839>

Druck Freier  Zugang



RU. Med. 1664.

Johann Oüistorp.

Anton Günther Knauff

Siehe eingelegte Contenta

In Nomine Jesu!

THESES THEOLOGICAS,
DE
JUSTITIA LEGALI
ET FIDEI.

cum licentiâ

Inclytæ R. Facultatis Theologicæ,

PRÆSIDE

Perquam Reverendo

DN. D. JOHANNE QVISTORPIO,

Fac. Theol. Sen. Decano, & Past. S. Dominicæ,

DN. Præceptore & Patrono suo

meritissimo,

In Auditorio Magno, publicè,

in timore DOMINI,

ventilandas proponit

ANTONIUS GÜNTHERUS Knautt/

Oldenburgicus,

A. & R.

Rostochiæ


d. XXIV, Sept. An: M DC LXIV.

•• * ••

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

1664

UNIVERSITÄT
DE
JUSTITIA LEGALIS
ET
IN
PRAESIDIUM
UNIVERSITATIS
ROSTOCKENSIS
IN
ANNO
MDCCCXXXIII
MAY 18 1833
UNIVERSITÄT
ROSTOCK



Nignis est locus Apostoli, in epistola ad Philippenses capite tertio, versiculo potissimum Nono, doctrinam maximè utilem & necessariam tradens, quæ est de justitia Legis & Fidei. Hæc quia in Ecclesia semper controversa fuit, est, & erit, theses aliquot de eadem publicè discutiendas, bono cum Deo, proponemus. Esto itaq;

1. *Sicut Deus est essentia spiritualis, aterna, omnipotens, sapiens, bona, justa, misericors, benefica, casta, verax &c. Ita & Lex est norma seu regula in mente divina, cum essentia & voluntate ipsius consentiens, quæ vult, jubet & approbat ea, quæ cum natura & norma hac sua congruunt, quæ cum eadem pugnant, damnans & prohibens. Unde & scitè B. Luth. Deū nominat Decalogum in thesi, Diabolum autem Legem in antithesi.*

2. *Hanc suam normam in prima creatione Deus homini indidit, eiq; Spiritum suum rectorem addidit, ne ab eadem discederet, sed ut esset imago Dei, in quibus Dei sapientia, bonitas, justitia, castitas, & cætera vicissim virtute lucent.*

3. *Est igitur justitia legis, totius hominis, animæ & corporis, omniumq; ejus virium, omnium motuum, & actionum tam interiorum quam exteriorum perfectissima & exactissima cum lege divina conformitas.*

4. *Ob hanc justitiam homo DEO summè placuit, futurus immortalis & heres vite aeternæ, si non peccasset.*

5. *Justitia autem illa, sicut ante lapsum in primis parentibus maximè fuit splendida, ita per peccatum in omnibus hominibus penitus obscurata & perdita est.*

6. *Imò quia per peccatum homo non ampliùs Dei imago, sed terra larva Diaboli facta est, justitiam illam quam lex requirit, per naturam non intelligit. Lex enim est spiritualis: homo autem carnalis. Rom. 7, 14.*

7. Non

7. Non enim ideo lex post lapsum solemniter à Deo promulgata est, quod perfecta ejusdem impletio possibilis esset, & Deus per eandem nos justificari vellet, sed ut corruptionem naturæ nostræ & peccata nobis ostenderet, & ira divina adversus peccata esset testimonium.

8. Non ergo rectè dicitur legis impletionem esse facilem, nec rectè distinguitur inter mandata Dei, quod quaedam sint magna, quaedam minima, quorum transgressionem Deus non curet: quaedam sint præcepta, quaedam consilia, quæ observare sit aliquid supererogare.

9. Imò quia lex est spiritualis, & omnium virium humanarum rectitudinem, adeoq; perfectissimam obedientiam exigit, secundum illud: maledictus qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, Deut: 27, 26, impletio legis impossibilis est. Act: 15, 10. proinde etiam justitia legis propriè dicta in hominibus nulla est.

10. Dicitur tamen Paulo justitia legis observatio ceremoniarum leviticarum, item aliqualis crassiorum affectuum & externarum actionum ad legem Dei conformatio, alias disciplina seu obedientia externa dicta.

11. Hæc justitia ut imperfecta est, ita in conspectu DEI non valet, & justos nos minimè reddit.

12. Quà si quis in judicio divino gloriari velit, censente Apostolo, non lucrum, sed damnum, imò pestis est.

13. Circumcisio enim, ceremoniæ & sacrificia legi addita, non ideo instituta sunt, ut justitia in illis quæreretur, sed ut essent commonefactiones de semine Abrahæ, in quo omnes gentes benedicenda; & per hæc fides in Messiam excitaretur & confirmaretur: quo exhibitò abrogata sunt.

14. Et lex moralis, licet vitam servantibus promittat, non tamen vires implendi suppeditat, sed omnes homines in peccatis corruptos & natos, iræ divinæ & maledictionis æternæ reos pronunciat.

15. Lex

15. Lex igitur & qualiscunq; illa Justitia legalis, homines non justificat. Nō justificabitur enim in conspectu Dei ullus vivens. Ps. 143, 2.

16. Est tamen lex non renatis etiam necessaria & utilis. Coercet enim illos, externā disciplinā, sine qua societas humana non potest consistere. Et Deus ut Augustinus ait, etiam externam obedientiam non renatorum temporalibus premiis renumeratur.

17. Item quia in illis, qui juxta legem mores gubernare conantur, multi sunt fœdi lapsus, & corda manent impura, Lex monet, veram justitiam alibi querendam esse; Est enim Pædagogus nobis ad Christum, ut ex fide justificaremur. Gal. 3, 24.

18. Cum itaq; justitia legalis in conspectu & judicio Dei nullasit, aliā justitiam esse oportet, per quam coram Deo justi sumus.

19. Justitia autem illa non in lege sed in Evangelio revelatur, & Paulo justitia fidei dicitur.

20. Sed justitia fidei nihil aliud est, quam Christi Pontificis & Redemptoris nostri, crucifixi & ex mortuis resuscitati obedientia & meritum, omnibus fide illud amplectentibus, ex gratuita Dei misericordia in remissionem peccatorum & justitiam coram Deo consistentem, imputatum; unde Spiritu S. donamur & heredes vitæ æternæ efficiamur, gratis propter solum Christum, non propter ullam dignitatem, aut ulla opera nostra.

21. Hæc fidei justitia respectu Christi legalis dici potest. Etenim perfectissima obedientia nostri loco legi præstita, & pœnarum secundum legem nobis debitarum permissio: respectu autem nostri non legalis sed Evangelica & fidei justitia dicitur, quia non in lege sed Evangelio revelatur & nobis offertur.

22. Multa autem justitia Fidei complectitur, secundum ordinem causarum nobis expendenda.

23. Causa efficiens procreans, est gratuitus Dei favor & misericordia nostram miseriam intuens, quæ & filium suum, mediatorem mundo donat, & propter ipsius meritum credentibus peccata remittit, eosdemq; ad vitam æternam acceptat.

24. Gratuita illa Dei misericordia respectu donati nobis filij est absoluta,

soluta, nullum meritum agnoscens; respectu remissionis peccatorum & acceptationis ad vitam aeternam respectiva, Christi meritum & obedientiam iustitiae divinae satisficientem respiciens.

25. Itaq; misericordia Dei, peccata nobis remittens & ad vitam aeternam nos acceptans respectu Christi non est gratuita, utpote obedientia & satisfactione ipsius nobis acquisita: gratuita autem est respectu nostri, quippe qui nulla dignitate aut operibus nostris eandem promeremur.

26. Gratuitam hanc Dei misericordiam Paulus vocat gratiam: qua non significat in hoc articulo naturae bona, seu dona in generatione nobis collata, ut finxit Pelagius.

27. Neq; significat gratiam gratum facientem, sive primam gratiam vel infusum habitum, ut docent scholastici.

28. Neq; notat gratiam Dei, quā velit propriam nostram obedientiam erga legem Dei sic acceptare, ut propter illam nobis det vitam aeternam. Sicut Jesuita Colonienfes docuerunt.

29. Causa efficiens meritoria est Christus, cum tota sua obedientia & merito sese satisfactione, spectata tum in perfecta legis divinae impletione, tum in perfectione penarum peccatis nostris debitarum.

30. Hac sua satisfactione duplex Christus nobis meruit beneficium: 1. reconciliationis h. e. remissionem peccatorum, & iustitiam propter quam ad vitam aeternam acceptamur. 2. renovationis, quā per Spiritum S. mens illuminatur & voluntas sanatur, ut ejus gratia adjuti Deum agnoscere & vitae pietate ipsum colere possimus.

31. Non autem ideo per Spiritum renovamur, ut per novos motus à Spiritu accensos, per virtutes & opera nostra iustitiam & salutem consequamur: sed ut Deo gratissimus, & fidem nostram coram hominibus declaremus.

32. Causa instrumentalis ex parte Dei, seu offerens, sunt verbum & sacramenta.

33. Verbum hic non sumitur latè prout legem etiam comprehendit; licet enim lex agnitionem peccati & contritionem operando, hominem ad iustitiam fidei capeendam prepararet, ipsam iustitiam fidei tamen non offert aut confert. Nam lex non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, vivet in eis Gal. 3, 12. Sed verbum hic sumitur strictè pro promissione Evangelij, quae gratiam in Christo Jesu credentibus promittit.

34. Evangelium id omnibus temporibus idem est. Clarius quidem subinde annunciatum est, quoad substantiam tamen idem est, eundem Mediatorem eandemq; in eodem gratiam offerens & exhibens.

35. Verbo addita sunt sacramenta; quae sunt visibilia signa invisibilis gratiae, non tantum significantia, sed gratiam illam, quam significant, exhibentia.

36. Non solum autem offerunt & exhibent gratiam illam verbum & sacramenta, sed etiam media sunt, per quae Spiritus S. suam, gratiam illam apprehendentem, exci-
cat, confirmat & obsignat.

37. Cau-

37. *Causa instrumentalis ex parte hominis est fides, justitiam fidei in Evangelio revelatam & oblatam apprehendens, sibiq; applicans.*

38. *Requiritur ad hanc fidem. 1. noticia, non quidem omnium controversiarum circa Religionem, sed præcipuorum articularum fidei, qui fundamentales alias dicuntur. 2. assensus, quo quis assentitur iis quæ in verbo Dei, articulis fidei, & potissimum promissionibus Evangelij traduntur, nec nititur evidentibus rationibus; sed sola Dei revelatione in verbo facta. 3. fiducia, quæ anima quasi est & formâ fidei, quæ quis promissiones generales sibi applicat, certòq; statuit, Deum propter Christum sibi peccata remittere, seq; ad vitam æternam acceptare velle: quare per ἰσχυρὴν confidentiam. Matth. 9, 2. & 22. per πειθοῦς certam persuasionem Heb. 10, 22. per πιστῆς firmam fiduciam Ephes. 3, 12. per παρρησίας libertatem, divinæ misericordiæ confidentem Heb. 3, 6. 1. Joh. 2, 28. describitur.*

39. *Objectum fidei commune sunt omnes revelationes divina, prout fides est noticia & assensus: proprium sunt promissiones Evangelica, prout fides est fiducia, Christi justitiam apprehendens & sibi applicans.*

40. *Fides hæc sola non existit, obedientiam enim & charitatem necessariò connexa habet. 1. Joh. 2, 4. 9. quæ tamè non forma fidei, sed ejus fructus & effectus, sunt Luc. 3, 9.*

41. *Duplex igitur est fidei ἐνέργεια s. actus, alius in justificatione, in sola Christi apprehensione consistens: alius in renovatione, ubi fides per caritatem efficax est.*

42. *Neg; verò fidei justitia tribuitur, quatenus per caritatem efficax est, vel quatenus, est qualitas, aut opus, seu ipse actus apprehensionis; sed relatè, quatenus obedientia & meritum Christi, quæ sola, gratia Dei ad justitiam nobis imputat, per fidem homini sunt propria.*

43. *Causa materialis seu objectum justitiæ fidei sunt homines, non tantùm electi, sed & alij. Plures enim verè justificatos in fide non perseverantes, per peccata regnantia justitiam fidei amittere & gratiâ Dei excidere, è scripturis certum est.*

44. *Causa formalis justitiæ fidei, consistit: tum in remissione peccatorum; tum in imputatione justitiæ, Christi obedientiâ acquisitæ.*

45. *Proinde non solum peccatorum veniam, sed justitiam quoq; habeat necesse est, qui ad vitam æternam à Deo acceptari volet.*

46. *Justitia autem illa non est infusa, aut inherens aliqua qualitas, quæ coram Deo justissimus: sed justitia imputata, scilicet justitia Christi per fidem nostrâ facta.*

47. *Justitia Christi non intelligitur h. l. justitia essentialis naturæ divina, quam cum Patre & Spiritu S. communem habet: neg; justitia naturalis sive habitualis, quam per sanctissimam conceptionem humana ipsius naturæ adeptæ est: sed justitia actualis, perfectissima, quam pro nobis legi divinæ præstitit, obedientia.*

48. *Sola*

48. Solâ hac justitiâ Christi fides nixa de salute certa est: propriâ aliquâ justitiâ atq; meritis confidens, semper fluctuet ac de salute dubitet necesse est.

49. Causa finalis justitiâ fidei ex parte Dei, est vel intermedia, seu misericordiæ & justitiæ divinæ demonstratio Rom. 3, 24. 26. ultimus, nominis sui gloria. Ex parte hominis est salus & vita æterna Joh. 3, 16.

50. Effectus justitiæ fidei sunt, liberatio à maledicto legis Gal. 3, 13. adoptio in jus filiorum Dei Gal. 4 5. conscientie pax & tranquillitas Rom. 5, 1. certitudo salutis Rom. 8, 38. 39. &c.

51. Consequens justitiæ fidei necessarium, est nova obedientia, seu justitiæ vitæ & operum inchoata; quæ pro norma legem divinam, non traditiones humanas agnoscit, & in operibus pietatis & caritatis, non in cultibus electivis consistit.

52. Nova hæc obedientia est imperfecta. Nam sanctissimis volentibus bonum facere semper adiacet malum. Rom. 7, 21. placet tamen Deo, quia Spiritus S. eandem in justificatis operatur, & persona fide Deo reconciliata placet: imperfectio autem & sordes adbarentes propter Christum teguntur.

53. Etsi autem novam obedientiam Deus ingentibus præmiis in hac & futura vitæ gratuitò remuneretur: justitiæ tamen coram Deo consistens, & meritum vitæ æternæ minimè eidem tribuenda sunt.

54. Adjuncta justitiæ fidei sunt, unitas s. identitas, perfectio & durabilitas.

55. Justitiæ fidei omnibus temporibus una & eadem est. Per hanc n. & non aliam justitiâ omnes homines, tam in V. quam N.T. salvari, affirmat Petrus Act. 15, 11.

56. Perfectissima est fidei justitiæ, quia est justitiæ Christi, qui Deus est & homo, quæ nobis imputata perfectior est, quàm quæ in Adamo amissa est;

57. Acquisitio justitiæ fidei actu transitorio in terris peracta est. Applicatio & imputatio à condito mundo usq; ad finem ejusdem in credentibus facta est & fiet; virtus ejusdem in æternum durat.

58. Durat autem justitiæ fidei in hac vitæ in credentibus, quam diu fides durat; quâ per peccata amissâ, amittitur etiam fidei justitiæ, quâ per gratiam Spiritus S. recuperatâ, recuperatur etiam justitiæ fidei. Hinc applicatio & imputatio justitiæ fidei non semel tantùm in vitæ fit, sed sæpius reiteratur, quoties homo in peccata mortalia prolapsus, per Spiritum S. convertitur & fide de novo donatur.

59. Eadem autem & cum eadem fidei justitiâ per peccata regnantia renatos quidem totaliter & finaliter: Electos verò n. n finaliter quidem, sed tamen totaliter amittere posse, dictis & exemplis scriptura comprobatur.

Tantum per Dei gratiam.

☞ (: :) ☞

15. Lex igitur & qualiscunq; illa Justitia legalis, homine
ficat. Nō justificabitur enim in conspectu Dei ullus viver

16. Est tamen lex non renatis etiam necessaria & utilis. C
illos, externā disciplinā, sine qua societas humana non pote
re. Et Deus ut Augustinus ait, etiam externam obedienti
natorum temporalibus premiis renumeratur.

17. Item quia in illis, qui juxta legem mores gubernar
multi sunt fœdi lapsus, & corda manent impura, Lex mone
stiam alibi querendam esse; Est enim Pædagogus nobis a
ut ex fide justificaremur. Gal. 3, 24.

18. Cum itaq; justitia legalis in conspectu & judicio Dei n
justitiam esse oportet, per quam coram Deo justus sumus.

19. Justitia autem illa non in lege sed in Evangelio revel
lo justitia fidei dicitur.

20. Sed justitia fidei nihil aliud est, quam Christi Pon
demoris nostri, crucifixi & ex mortuis resuscitati obediem
tum, omnibus fide illud amplectentibus, ex gratuita Dei mis
remissionem peccatorum & justitiam coram Deo consistent
tum; unde Spiritu S. donamur & heredes vitæ æternæ effi
propter solum Christum, non propter ullam dignitatem, au
nostra.

21. Hac fidei justitia respectu Christi legalis dici potest. Et
Elissima obedientia nostri loco legi præstita, & pœnarum sec
nobis debitarum permissio: respectu autem nostri non legal
gelica & fidei justitia dicitur, quia non in lege sed Evange
& nobis offertur.

22. Multa autem justitia Fidei complectitur, secundu
causarum nobis expendenda.

23. Causa efficiens procreans, est gratuitus Dei favor & n
nostram miseriam intuens, quæ & filium suum, mediato
donat, & propter ipsius meritum credentibus peccata rem
demq; ad vitam æternam acceptat.

24. Gratuita illa Dei misericordia respectu donati nob

